Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelhandschrift - Cod. Karlsruhe 504

[S.l.], [11./12. Jh.]

Beda Venerabilis: De temporum ratione

urn:nbn:de:bsz:31-35452

Visual Library

Positio signorum secundum [illegible]

Duo extremi vertices mundi quos appellant polos septentrionis et austri, quorum alter a nobis semper videtur, alter nunquam. In eo qui a nobis cernitur tria signa sunt constituta, duo scilicet arcturi et serpens circum atque inter illos in morem fluminis means. Elix arcturus maior, cinosura minor dicitur, qui diversum quidem aspiciunt. Nam dorso eorum sibimet mutuo avertunt, aversis huc atque illuc pedibus. Serpens vero cauda cingit elicen, cetero circuitu cinosuram, ita tamen ut easdem medius separet. Cuius caput ad dextrum pedem eius qui in geniculo stat videtur extensum. Ille vero qui in geniculo stat quem herculem dicunt, dextro pede caput premit serpentis capite ad austrum converso, humeris suis coronę tangit confinia. Ipsa vero corona post tergum herculis sita capiti serpentis quem serpentarius tenet appropinquat. Serpentarius vero qui a grecis ophiucus vocatur sub hercule positus, ad austrum versis pedibus scorpionem calcat, serpentem praecinctus quem utraque manu tenet, qui plurima longitudine porrectus usque ad coronam extenditur. Iuxta huius serpentis flexuosa volumina nullo alio interveniente signo bootes post tergum arcturi maioris videtur pedibus ad virginem versis. Nam virgo sub pedibus bootis constituta est. Itemque vero ad pedes anteriores ursę maioris in commissura zodiaci atque lactei gemini sunt locati habentes a levo latere agitatorem cum hedulis duobus, qui contra caput elicis capite verso pede dextro sinistrum tauri cornu tangere videtur. Iuxta geminos qua zodiacus altissime erigitur contra ventrem ursę maioris cancer situs est. Habens in dorso asilos albicante inter eos nubecula, quae praesepium nominatur. At contra pedes eiusdem ursę posteriores inter cancrum et virginem leo dicitur constitutus, bootem habens iuxta se. Sub pedibus vero agitatoris taurus iacet uno pene contento ad orionem qui sub illo est constitutus. Cepheus tertius inter ursam et cassiopheam medius expansis brachiis pedibus ad terga minoris ursę porrectis. Cassiophea contra volumen maximum septentrionalis serpentis agitatorem per seu andromedam cepheumque consistit. In lacteo circulo iuxta pisces cassiopheam atque arietem andromeda est locata cum triangulo quem post tergum dicitur habere, caput habens versum ad alvum equi, qua equus super est positus. Aries in commissura est zodiaci atque equinoctialis circuli sub triangulo situs, habens sub se cetum ad australem partem. Ad proximum huius signi pisces duo, quorum alter in aquilonem erectus, alter in austrum, pro caudis tamen vinculo quodam conexis colligati sunt. Ab aquilonis ab andromedam extenditur, austrinus ad aquarium. Iuxta pedes autem andromedę a latere cassiophey perseus ostenditur gorgonis caput manu sinistra tenens, cui sub femore sinistro iuxta caudam tauri pliades videntur constitutę. Lira vero inter levum genus herculis et inter cignum posita. Cignus expansis alis volanti similis, ad dextram cephei manum dexteram alam sinistram ad equum porrigit. Inter pisces et equum caudamque capcornu aquarius collocatus est, aquam urne fundens, quae effusio ad magnum piscem usque decurrit. Parte autem humillima zodiaci iuxta sagittarium atque aquilam capcornus in commissura hiemalis circuli ac signiferi situs est, habens post se sagittarium in commissura circulorum zodiaci atque lactei. Sub delfino constitutus est et sagitta quaedam sola sub cigno iuxta aquilam iacens. Super capcornu vero caput delfini est positum, per caudam serpentis quem a serpentario tenetur sub ipso serpentario scorpionem dicunt esse locatum